

ANIMADVERSIONES NONNVLLAS
CIRCA VSVM
FORCIPIS LEVRETIANAЕ,
IN PARTV DIFFICILI.

*
CONSENTIENTE GRATIOSA MEDICA FACVLTATE

PRAESIDE

IOANNE CHRISTOPH. ANDREA MAYER,
SERENISS. PRINC. HEREDIT. BORVSS. A CONS. AVL.
MED. ET PHIL. DOCT. MED. THEOR. ANAT. PHYSIOL. CHIR. ET ART.
OBSTET. PROF. PUBL. ORDIN. CIRCULI LEBVIENSIS ET CIVITATIS
FRANCOFVRTANAЕ PHYSICO, ACAD. CAES. NAT. CVRIOS.
SODALI, H. T. FAC. MED. DECANO,

SVPREMOS DOCTORIS MEDICINAE
ATQVE
CHIRVRGIAE HONORFS
LEGITIME CAPESSVRVS

DIE VI. DECEMBER. CIOCCCLXXXV.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVEMITTET

A V C T O R

DIETERIC. GVILIEL. SACHTLEBEN,
RAVENSBERGENSIS GVESTPHALVS.
REGIAE SOCIETATIS LITTERARIAE VIADRINAE SODALIS.

Emedatio quaedam forcips Leuretianaе in Tabula adiecta proponitur.

TRAJECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

AMICUS DEDICATORES MONIMENTIS

IN CORDA VERA

JOHANNES HANDEL

HOB. 17. 1749.

STATUTUM ALEXANDRIANUM COMITIUS

GRANADA. 1749.

ESTATEM ALEXANDRIANUM COMITIUS

GRANADA. 1749.

VIRIS
CONSULTISSIMIS AMPLISSIMIS
AT QVE
CELEBERRIMIS
INCLYTAE CIVITATIS
LIPPSTADIENSIS
C O N S V L I B V S
T R I B V N I S
S E N A T O R I B V S
AT QVE
S Y N D I C O

SPECIMEN HOC IN AVGRALE

D. D. D.

A V C T O R



AIRIE
CONSERVATORIIS AMPLISSIMIS
ATRA
CIVILIS
INCIVITATIS
PRISTINENSIS
CONSERVATORIIS
TRIBUNIIS
SENIATORIIS
ATRA
SYNDICO
SIGILLUM HOC INVERGARTE
D D U
ACTOR



ANIMADVERSIONS NONNVILLAE

CIRCA VSVM

FORCIPIS LEVRETIANAE,
IN PARTV DIFFICILI.

§. I.

Argumenti ratio.

De eximio vsu forcipis Leuretianae, secundum ultimam emendationem praestantissimi huius instrumenti, quam auctori debemus, iam inter omnes artis obstetriciae peritos viros ita constat, vt neminem facile inuenias, qui, dummodo artem ipsam saepe exercuit, non illam confirmet sententiam, forcipem Leuretianam alteram vocari debere obstetricis manum. Non negabo quidem, aliam quandam forcipem e. g. Johnsonianam, quamuis in genere longe,

A ratione

ratione utilitatis, distet a Leuretiana, in rariori quodam casu, utilitate non carere; attamen, licet paullo difficultius applicatu, et huic sufficere instrumentum Leuretianum, quem artis obstetriciae non plane rudem fugit hoc? Superuacaneum itaque etiam foret, in laudes huius inuenti latius excurrere.

a) Quoniam vero mihi videtur, non omnia ea adhuc esse absoluta, quae dici possunt de modo applicationis forcipis Leuretiana, de agendi cum ea ratione, atque de speciebus partus difficultis, quibus medendis inferuit, quaeque ad maiorem generi humano utilitatem praestandam dici debeant, ea, quae de his argumentis ex ore Ill. praceptorum meorum e. g. *Meckelii* atque *Mayeri* accepi, quaeque mea atque frequentiori, qua viri illi Illustres gaudent in exercitio artis, experientia certo comprobantur, exponere Inaugarali Dissertatione Thema dignissimum existimau; praesertim cum venia optimi praefidis, cui hic publice, ob benevolentiam suam in me collatam maximas ago gratias, descriptionem emendationis cuiusdam forcipis Leuretiana adiiciam; quae utilitatem praestantioris huius instrumenti adaugere adhuc verisimiliter valeat.

(a) Vid. *Steini Progr. de Mechanismo et praestantia forcipis Leuretianae*. Cöstellis 1767.

§. II.

Opiniones praecipuae

De transitu capitum infantis per peluum in partu naturali.

Antequam vero ea proponam, quae circa modum forcipe Leuretiana vtendi, mihi adhuc monenda videntur; necesse est, ut de transitu capitum infantis per peluum in partu naturali agam, eaque exponam, quae de hoc argumento, quod quodammodo inter artis obstetriciae magistros adhuc in lice versatur, naturae legibus apprime conuenire mihi sunt visa. Hac enim doctrina optima forcipem Leuretianam adhibendi methodus innititur.

In duas, circa transitum capitum infantis per peluum in partu naturali, abeunt opinione clarissimi viri, quas brevibus vobis exponam. Prior, cui inter alios recentiores *Steinius* praesertim fauet, b) adfirmsat, eandem esse in superiori pelvis apertura capitis infantis positionem, quam ea, quae dein in inferiori apertura obtinet; scilicet longiorem capitis.

A 2 dia-

b) Originem primum duxit a falsa *Leuretii* sententia, pelvis diametrum in apertura superiori a promontorio ossis sacri versus ossa pubis directum quinque vel sex pollices aeqibare, cum tamen in statu naturali quatuor saltum habeat. Miror sane, III, *Steinius* opinioni adlatae adhuc adhaerere, cum tamen accurior pelvis dimensio, minime ei fauens, ab eo sit exposita.

diametrum ab anteriori versus posteriorem pelvis regionem dirigi, atque faciem os sacrum, occiput vero pubem respicere, neque ab hoc situ latera versus sub ipso transitu per pelvum caput recedere.

Contra ea *Hunterus c)* atque plerique recentiorum, nec non *Hagenius d)* se obseruasse aiunt, capitis infantis longiorem diametrum, sub ingressu in pelvis superiorem aperturam, vel longiorem huius aperturae diametrum, a dextra versus sinistram partem porrectum, vel obliquum, sic a Deuentero dictum, diametrum sequi, ita ut facies lateralem respiciat pelvis partem; sub ipso vero negotio partus quasi in quadrantem circuli lateraliter circumagi infantis caput, ita ut, in media sic dicta apertura pelvis, facies iam magis ad os sacrum, occiput vero ad ossium pubis Synchondrofin accedat, atque tandem sub egressu per pelvis inferiorem aperturam secundum longiorem huius aperturae diametrum, inter ossis coccygis apicem et arcum ossium pubis interceptum, capitis infantis longiorem diametrum ponni, ita, ut semper longior capitis infantis diameter secundum longiores diametros aperturarum pelvis situm habeat, brevior vero seu transuersalis capitis

c) Eleganter in *Tabulis elegantissimis de utero grauido*, capitis infantis situm sub transitu per pelvum depinxit.

d) Hagens Lehrgebäude der practischen Geburtshülfe. Berlin, 1781.
S. 43. 44.

5

infantis diameter breuioribus earum diametris seu coniugatis, ut quoque solent vocari, se accommodet.

§. III.

Quaenam nostra sit opinio.

Me posteriori huic opinioni adsentire, lubenter fateor. Non solum enim situ viscerum in pelvi ad vterum eiusque vaginam oppositorum apprime conuenit, sed et ipsi pelvis ossae formationi, et vi, qua in protrudendum infantis caput vterus agit. Sub eiusmodi enim transitu neque ab ossibus pelvis pressionem magnam versus caput infantis oriri, neque compressione validiori ab ipso capite laedi posse intestinum rectum atque vrinariam vesicam, vterum vero non a superiori versus inferiorem regionem solummodo, sed lateraliter quoque et quidem oblique contrahi, contentaque sua vrgere, et ex tensione dolorum ad partum ipsaque vteri agendi ratione, subi partu facile obseruanda, et ex fibrarum vteri directione, eleganter ab Huntero e) atque Loderi depicta, omnibus in scientia anatomica et obstetricia peritis facile patet. Magis vero adhuc hanc defendere sententiam cogor, cum non solum saepe per attactum, omni in id exhibita attentione atque circumspectione, transitum capitis infantis per pelvem

A 3 tali

e) Vid. Hunteri Tabulae de Vtero grauido. Tab. XIV.

6

tali modo fieri, luculenter perspexi, sed etiam eadem
se longe frequentius obseruasse, ab Optimo Praefide
et aliis celeberrimis viris compertum habeo. Illud
saltem adiiciam, caput infantis non solum lateraliter
circumagi et detrudi insimul, sed interdum quoque
eleuari paululum, mox vero iterum magis deprimi,
praesertim in ea regione, vbi facies ponitur.

§. IV.

De modo forcipem applicandi.

Multa quidem sunt eaque eleganter exposita,
quae circa modum applicationis forcipis ab Auctori-
bus traduntur f) attamen nec superflua fore arbitror,
nec minus utilia, quae illis addam. Monendum pri-
mum est, vt in omni ambitu capitis infantis, quous-
que sub attactu digitis potest attingi, disquirat ob-
stetrix, an caput a velamentis liberum iaceat, saepel
enim accidit, maxime prominulam capitum partem,
in medietate orificii vteri dilatati positam, velamen-
tis ruptis, liberam esse, laterales vero capitum regio-
nes, quae proprius versus ambitum orificii vterini po-
nuntur, illis adhuc tegi. Maxime necessariam esse
hanc disquisitionem, ex eo patet, cum sub applica-
tione forcipis praecipue eo prouidendum est, ne in-
ter velamenta et vterum, sed inter velamenta et ca-

f) Euolus e. g. Steinium in der practischen Geburtshülfe. IV. Ab-
schnitt. Erstes Capitel.

put infantis forceps intrudatur. Fatendum vero, capite
arcte incuneato, interdum difficultissimum hoc esse ne-
gotium, sagacissimumque obstetriciae artis magi-
strum falli, atque velamenta simul cum capite infantis
forceps attrahere posse. Hoc autem ex difficultiore
attractione et sanguine sub eo negotio profluente,
quoniam, attractis velamentis, placentae pars que-
dam ab utero separatur, coniici potest, itaque sta-
tim, ne maior uteri haemorrhagia oriatur, forceps
ex eo educenda, et denuo circa caput solum appli-
canda est, id quod negotium eo facilius peragitur,
si forceps, oleo bene illinita, arctius sub ipsa appli-
catione ad caput apprimitur, atque in eo uteri loco
applicatur, ubi quaedam inter caput et uterum distan-
tia interest, hanc enim, quamvis interdum mini-
mam, in aliquo loco uteri semper inuenies. Non
negandum quidem esse fateor, forcipem facillime in
utrumque latus uteri secundum situm diametri pelvis
transversalis intrudi posse, brachio dextro eius in
sinistrum uteri latus prius applicato, attamen quoque
non solum inuerso modo, sed etiam secundum dia-
metri obliqui, a Deuentero nuncupati, directionem,
si directio axeos transversalis capititis incuneati hoc de-
siderat, forcipem et maximo cum commodo, et
manuductione non ad modum difficulti applicari posse,
experientia docet. Maxime enim interest, ut firmiter
a brachiis forcipis coniunctis teneatur caput, quod

vero

vero fieri non potest, nisi vel axin ipsam transuersalem capitis circumdant, vel obliquam, vt cum *Steinio* loquar, quandam eius axin, quae non multum a transuersali recedit. Quo accuratius igitur situs forcipis axeos transuersalis capitis situm sequitur, eo certiores sumus de optima eius applicatione, si vero ob incuneati capitis situm obliqua quadam directione a forcipe coripi debet caput infantis; eo tamen praesertim sollicite est prouidendum, vt quam proxime fieri potest, ad axeos transuersalis capitis directionem accedat, atque vt sibi inuicem e contrario opposita ad caput adiacent forcipis brachia, ne, oblique sibi opposita, vel nimis remota, si diametrum longiorem capitis vel alium obliquum, ei propriem circumdant, sub attractione forcipis a se inuicem dehiscentia, caput relinquant. Optimum indicium forcipis bene applicatae illud est, si statim atque facillime eius iunctura clauditur.

§. V.

Monita circa attractionem forcipis.
 Forcipe rite applicata, non minoris momenti est, qua ratione sub ipsa tractione dirigatur. Finis primarius, quem ope forcipis adsequi vult obstatrix, semper is est, vt capit is diameter imminuatur, quo facilius illud a loco, vbi in pelvi impactum erat, remoueri possit; hunc itaque ante oculos habeat

sem-

9

semper, non neglecto insimul fine secundario, scilicet ut in eum situm caput dirigatur vel reducatur, qui maxime ad naturalem accedit. Non me fugit, plures eosque eximios obstetriciae artis peritos e. g. *Steinium*, dubitare, an tuto forcipe posterior finis impetrari possit, ideoque ab illis praecipi, ut forceps eodem in situ sit attrahenda atque ex pelvi educenda, qua sub prima applicatione secundum transuersum pelvis diametrum ponitur; verum enim vero certissime persuasus sum, eam methodum non solum forcipis usum interdum reddere difficulterem, sed etiam ipsi pelvis structurae atque illis, quae de transitu capitis infantis per pelvis in partu naturali antea exposui, contradicere. Ideoque ea tradam, quae in attractione forcipis utrumque finem coniungere, atque naturae legibus magis consentanea esse mihi videntur, quaeque ab ipsa experientia magis etiam corroborantur.

Omnium principale est in manuductione forcipis eo prouidere, ut non solum a superiori pelvis parte versus inferiora, sed insimul latera versus, et quidem versus latus oppositum instrumentum illud paullulum vertendo, capitis incuneatio supereretur atque ex loco, ubi impactum est, in locum inferiorem pelvis illud detrahatur. Eo sub momento operacionis nonnumquam necesse est, ut valida vi caput per forcipem prematur, quam pressionem, vinculo forcipis

cipis manubrio circumducto adiuuandam esse, multi
suadent, huic vero opinioni minime adsentio, nam
idem firmiori manutum applicatione potest perfici,
eaque ratione nullum impedimentum adest, quod,
liberato capite, moderationi pressionis, quae tamen
mox necessaria est, repugnare valet, cum e contrario
vinculum, manubrio forcipis circumpositum at-
que non satis cito remouendum, ea ex ratione magis
etiam dissuaderi debeat, quoniam interdum aliquoties
sub transitu per pelvum caput incuneari solet, atque
idecirca necesse est, ut vis pressionis per plures vices
vel adaugeatur vel imminuatur. Forcipe itaque si-
vator, indicem manus dextrae brachiis prope iunctu-
ram interpono, eoque magis ad hanc admoto bra-
chia facile dimouere, pressionemque imminuere pos-
sum; nec magis difficultis est ea manuductio, qua forci-
pe sensim, sub attractione versus inferiora, ad latus
versa, capitum longior diameter vel in obliquum *De-*
uenteri diametrum vel in longiorem diametrum aper-
turae inferioris pelvis, ab ossium pubis arcu versus
apicem coccygis directum, reduci potest. Mallem ta-
men, ut facie capitis pubis ossa respiciente, sub egressu
ex pelvi longior eius diameter transiret per obliquum
pelvis diametrum, partes enim faciei ad planiora ossa
non ita premuntur, quam ad ossium pubis arcum, et
praeterea parum longitudine differunt in apertura pel-
vis inferiori obliqui diametri a diametro longiori.

VI.

§. VI.

*De commodis forcipis Leuretianae Auctorum
opiniones.*

Nota quidem sunt, immo notissima commoda forcipis Leuretianae, quibus valet non solum ad liberandum caput, in quacunque peluis apertura etiam sit incuneatum, sed etiam, ut iam ipse *Leuretius* monuit, in remouendis humeris, secundum directionem brevis diametri aperturae superioris in peluum impactis, cum vel promontorio ossis sacri, vel offibus pubis inhaereant, nec non natibus, eadem ratione incuneatis, ex loco, ubi coercentur, deprimendis. Adiecerunt alii, iisque experientissimi viri, unum forcipis brachium vectis instar reductioni capitis inique vel oblique positi in debitam atque naturae conuenientem directionem, durante partu, inservire posse; attamen vero, nondum omnia esse absoluta, existimo, quae de vsu forcipis Leuretianae asseri possunt, atque, experientia testante, affirmari. Antequam vero ea exponam, quae mihi, circa quasdam partus difficilis species atque usum instrumenti supradicti in iis expediendis, supersunt; dogmatis illius, eleganter a *Steinio* expositi, forcipis usum versioni infantis fere semper esse praferendum, necesse est, ut Vos L. B. admoneam.

§. VII.

*Enumeratio specierum quarundam partus difficilis,
quibus expediendis etiam secundum nostram
opinionem forceps Leuretiana inseruit.*

Solent in illa peruersa infantis in vtero positio-
ne, ubi, capite inique atque plerumque etiam oblique
posito, simul in aperturam pelvis superiorem vel ma-
nus una vel funiculus vmbilicalis intrat, in genere
praecipere, vel tanquam dogma artis stabilire obstet-
riciae artis periti, versionem infantis esse instituen-
dam, ne sub partu vel a pressione funiculi vmbilica-
lis sanguinis circulus inter placentam et infantem,
ad vitam foetus, quousque in vtero haeret, conser-
vandam maxime necessarius, intercipiatur, vel a
partibus, quaecunque sint, simul cum capite in pel-
vium intrusis, atque sub ipso partu intumescentibus,
partus retardetur. Verum enim vero quis est harum
rerum peritus, qui nesciat, talem versionem, quae in-
tegra est, sicuti dici solet, quia caput infantis ab in-
teriori ad supremam vteri regionem sub versione in-
fantis adscendere debet, sub ipsa administratione
non solum difficultissimam esse, sed etiam saepe pro-
pter magis prolabentem funiculum aegerrime expedi-
ri, immo, si serius, vtero iam per longam moram con-
tracto atque capite iam magis in pelvium impacto,
aduocatur obstetrix peritus, rarissime talem versio-

nem,

nem, quae tunc praeparationem sic dictam i. e. dilatationem vteri arte factam, antequam peragi potest, exigit, eo cum successu fieri posse, ut infantis vita conseruetur. Nonne igitur operae pretium esset, tutiorem inuenire methodum in hisce partus difficultis speciebus? nonne forceps versioni praestaret, praeferit si legitima atque positioni capitis appropriata eius applicatio fieri posset? Hance quaestionem non solum legibus ipsius naturae affirmari, sed etiam experientia optimi Praefidis comprobari, compertum habeo. Nam ad primum quod attinet, certissimum est, interdum eiusmodi partum ab ipsius naturae viribus expediri, et a capite, quo magis in peluum descendit, eo magis superiora versus retro-premi partes simul prolapsas. Cur itaque non succederet illa manuductio, si forceps applicata, saltem ab una manu attraheretur, cum insimul altera manus ope vectis Ronhuyfianaee partem prolapsam superiora versus vrgereret, donec caput magis in peluum fuerit intrusum. Obiicies, peluum non satis amplam esse, ut ambo instrumenta rite possint applicari, hac vero ex ratione versio infantis, ad quam perficiendam caput ipsum retropremendum est, difficilior adhuc fit, nam sub applicatione forcipis capitis diameter transuersalis minuitur, dum alias, si versio nem administrare cupis, partes prolapsae atque caput cum iis simul in pelvis superiori apertura impactum

B 3

eandem

eandem expansionem seruant. Accedit ethoc, quod caput ipsum, si forcipe circumiecta oblique versus illam regionem trahitur, vbi pars quaedam paululum prolapsa est, partem illam saepe retrahere valeat, et tunc etiam non opus sit, illam ope vestis reprimere. Omnia, quae hic proposita sunt, in ipsa manuductione forcipis expertus est optimus praefes, tantoque cum fructu, ut non solum vitam atque sanitatem infantis conseruaret, sed et paucarum minutarum tempore partum absoluaret.

§. VIII.

Emendatio quaedam forcipis Leuretianae proponitur.

Vnicum, quod in applicatione forcipis Leuretianae solet supereffe incommodum, si altius haeret caput infantis, sicuti exempli gratia ponitur, cum simul cum eo in pelvis cavitatem manus vel alia quaedam pars intrat, id est, quod forcipe applicata in multis mulieribus iunctura eius tunc inter labia pudenti ipsa ponatur, atque, si compressionem partis cuiusdam vaginae muliebris, seu labiorum vuluae euitare studes, non nisi magna cum circumspetione et difficultate claudi possit. Augetur etiam hoc incommodum, si caput nondum in pelvem depresso sed quasi super superiorē aperturam haerens, forcipe comprehendere atque attrahere cupis, id quod optimo

15

optimo cum successu, cum manus prolapsa transuerso situ ad caput adiacet, partum absque versione expedire, atque manus prolapsum sub partu insimul praecauere potest. Cogitabat itaque saepe secum Praeses noster, qua ratione illud incommodum posset auertere, aliis iisque maximis commodis Leuretianae forcipis insimul conseruatis, et tandem eam, quam Tabula adiecta exhibet, forcipis mutationem huic scopo apprime inseruire, sibi habebat persuasum.

Omnis forcipis mutatio in eo consistit, ut tertiores brachiorum partes inter iuncturam et excavatam partem interceptae paululum longiores sint, quam in forcipe Leuretiana, excessus ille vnum pollucem Rhenanum aequat, ceterum nec excavata pars brachiorum, nec manubrium, nec iuncturae ratio a forcipe Leuretiana differt, omnia itaque haec forceps conseruat commoda, quae Leuretianae competunt, euitatis insimul incommodis antea memoratis, si enim eius modi forceps applicatur, quam altius etiam haereat caput, attamen iunctura eius semper a pudendis remota iacet, atque facilissime clauditur.

Ta-

*Tabulae adiectae explicatio.**Fig. Prima.*

Forcipem nostram delineat, a parte sinistra visam.

- a. b. Partes excauatae brachiorum forcipis.
- b. c. Partes teretes, inter excauatas brachiorum partes et iuncturam interceptae, quae vnum pollicem Rhenanum longiores sunt, quam in forcipe Leuretiiana.
- d. Iunctura forcipis.
- e. f. Manubrium forcipis.

Fig. secunda.

Brachia forcipis nostrae ab apice ad iuncturam usque, a parte antica visa, atque spatium iis interiectum delineat.

Ula 3991 b

X 2309089

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Centimetres																			
Inches																			

Farbkarte #13



ANIMADVERSIONES NONVLLAS
CIRCA VSVM

FORCIPIS LEVRETTIANAE,
IN PARTV DIFFICILI.

CONSENTIENTE GRATIOSA MEDICA FACVLTATE
PRAESIDE

IOANNE CHRISTOPH. ANDREA MAYER,
SERENISS. PRINC. HEREDIT. BORVSS. A CONS. AVL.
MED. ET PHIL. DOCT. MED. THEOR. ANAT. PHYSIOL. CHIR. ET ART.
OBSTET. PROF. PVBL. ORDIN. CIRCULI LEBVSIENSIS ET CIVITATIS
FRANCOFVRTANAEC PHYSICO, ACAD. CAES. NAT. CVRIOS.
SODALI, H. T. FAC. MED. DECANO,

SVPREMOS DOCTORIS MEDICINAE
ATQVE
CHIRVRGIAE HONORFS
LEGITIME CAPESSVRVS

DIE VI. DECEMBER. CIOCCCLXXXV.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVMMITTE

AVCTOR

DIETERIC. GVIEL. SACHTLEBEN,
RAVENSBERGENSIS GVESTPHALVS.

REGIAE SOCIETATIS LITTERARIAE VIADRINAЕ SODALIS.

Emedatio quaedam forcipis Leuretianaе in Tabula adiecta proponitur.

TRAJECTI AD VIADRVM,

E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.